



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones
Lectissimorum Casuum**

Diana, Antonino

Antverpiæ, 1645

Irregularitas ex delicto & infamia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41753

Ex delicto & infamia.
31 **A**D incurrendam irregularitatem
ex delicto, requiritur peccatum
mortale: quia irregularitas est pœna
grauissima; ergo non nisi ob graue de-
lictum infligenda. Suarez & alij 18. p. 2.
tr. 16. ref. 18. & p. 4. tr. 4. ref. 41.

32 Probabile est damnatos ad trire-
mes non fieri irregulares, quia nec irre-
gularitas, nec infamia incurritur, nisi
in casibus à iure expressis, qualis non est
hic. Riccius & Homob. p. 4. tr. 2. ref. 83.

33 Nullum crimen quantumuis enor-
me inducit irregularitatem ex infamiâ
iuris, nisi sit notorium. Henric. & alij 4.
Ex infamiâ verò facti non oritur irre-
gularitas simpliciter dicta, & solâ dis-
pensatione delevibilis. Hinc Sacerdos pu-
blicus concubinarius, vel adulter, post
vitæ emendationem publicam, inter-
posito saltem aliquo temporis spatio,
sine dispensatione potest celebrare.
Layman. *ibid.* ref. 93.

34 Ob hæresim exteriorem, non ta-
men notoriam, incurritur irregulari-
tas. Suarez & alij 13. (quamuis contra-
rium sit probabile. Henric. & alij 9.) sed
potest Episcopus dispensare. Sanchez &
alij 2. *ibid.* ref. 46. & p. 2. tr. 15. ref. 24.

358 Irregul. ex delict. & infam.

35 Clericus in hæresim lapsus post penitentiam, & abiurationem, probabiliter potest exercere Ordines antè susceptos. Auila & Sayrus. p. 4. tr. 4. res. 38.

36 Qui fidem negat, siue spontè, siue metu coactus, non fit irregularis, nisi crimen sit notorium, tunc enim fit et ratione infamiae. Azor. & alij 2. *ibid* tr. 2. res. 49.

37 Qui accusati de hæresi ab Inquisitoribus, illam coguntur abiurare, non sunt irregulares, propter suspicionem illam etiam vehementem. Sanchez & alij 9. Quare multò minùs sunt qui de hæresi sunt suspecti, nisi suspicio oriatur ex fauore, defensione, &c. hinc enim nascitur irregularitas. Suarez & alij 8. *ibid* res. 47. 48 & 144.

38 Filius natus patre Catholico, qui postea factus est hæreticus, non propterea fit irregularis, etsi sæpè ex alio capite fiat irregularis, ratione scilicet infamiae, ut fit in partibus hæresi non infectis. (Coninc & alij.) Filij tamen Sacerdotum, paganorum, Iudæorum non sunt irregulares, ut filij hæreticorum. Bonacin. *ibid* res. 45. & 50.